kat.komp.
22102
V B 3 D
C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS
III Mag. St. Dr. P

S[illegible] ...thorus

Secretarius Regni Maior

Tortowski Jes: Laurea theologica - gentilitiis

Rosis innexa.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№. 1396.

# LAUREA THEOLOGICA

CELSISSIMÆ & ILLUSTRISSIMÆ DOMUS

Gentilitijs ROSIS

INNEXA.

& emerito Capiti

ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. CHRISTOPHORI

IN SŁUPOW

SZEMBEK,

SECRETARIJ Majoris Regni, CANONICI Cracoviensis, IUDICIS Deputati ad Regni Tribunal:

dum in Alma Vniversitate Cracoviensi

à

MAGNIFICO PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

M. PETRO PRACZLEWIC,

S.Th: Doct: & Professore CANONICO Crac: &c. &c.

Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis Procancellario,

& RECTORE Vigilantissimo,

cum omnium plausu & voto

Doctor Sacræ Theologiæ

renuntiaretur

IMPOSITA.

demum à

M. SEBASTIANO TORTOWSKI,

Ph: Doct: Collega Minore, Curato Opatovecensi, Historiographo Regio,

cultu Panegyrico

REPRÆSENTATA.

Anno Domini 1711. Die 2. Maji.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

946.

K
578.

# IN STEMMA
# CELSISSIMÆ ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.

94



22102 III




*Ambitio caras Regum mirare Coronas,*
*Oſtentaq; Tuas ſæve Gradive comas?*
*Sic decernit Honor Sapiens; nil pulchriùs unquam*
*Eſt; quàm SZEMBECIIS Laurea nexa ROSIS.*





Tat eminentior Tuo Capiti imposita Theologica Laurea; vernat patrijs intertexta ROSIS florentior. Illustrissime SECRETARIE Regni. Veluti contenderes ex æquo cum honoribus: adijcis vel ipsis decoribus, decora; à quibus multi ambiunt, Nomini suo emendicare ornamenta. Cur enim Te moverent fastigia? cur fulgor? cur plausus? cùm se gloria Domûs ultra culmina provehat, cùm solem æmuletur radijs, & in omnium ore, in singulorum vivat admiratione. Quos petis apices, Te minores serpunt. Si promoves ex Celsissimæ Domûs culmine passum, substernendi erunt gradus, ut commodè ad minora descendas fastigia. Videris præterire & relinquere culmina, ut habeas, quæ olim ascēdas. quærere planiora, ut è minori colle desiderium Tui inijcias majoribus. Vident Te à suo fastigio, datâ operâ, minorem, & succensent, quòd adeo Te submittas. Quærūtur, cur ingentes spes non laxes? certus omniū, fortunâ Tuâ, virtute Tua, sapiētiâ Tuâ, honorum. Irent ultro, nec irent, currerēt, volarent, ut in capacissimū sinum, præcipiti passu, unus supra alium, vel quod omnibus in votis, alius ante alium irruerent. Innue? violabunt modestiā Tuam, vincent laudatissimā pertinaciā. Quanta nunc est Laurearū Theologicarū lætitia! quod emeritum Caput Tuum con-

ceſſeris ſibi coronandum. Volebant; (nam quis non noverat apud Te dignam laurô regnare ſapientiam?) pridem Frontem Tuam Sacrâ comâ redimire. Verùm quia videbant, Te circa fulgere Tiaras, Mitras attolli, Faſces jacere, Aquilas volare, per honorum excubias, pro Tuo caro vertice, dimicantes, Tuum Caput adire reverebantur: niſi ipſe remotis honorum circa Te vigilijs, totoq; titulorum latus Tuum firmantium apparatu, non tam rejecto, quàm ducto in ſacraria ſcientiarum, palàm, inter illa divinæ pulvinaria ſapientiæ oſtenderes: quomodo amares ſcientias: irrita fuiſſent publica ſapientum vota. Viciſti ſapientia! omnes tituli laureas Tuas hoc Capite erectas, adorant. Quoties frontem hanc petent honores, nam fruſtra impeterent, toties ſe acclinabunt Tibi, ut admittas anhelantes. Tu prior, & maturior omnibus, tanquam grandæva Mater, inſtrues, qui venient tituli. Sub Te purpuræ fulgebunt, Te infra faſces ferentur, ingens ponent vallum torques aurei, ut ſecura regnes in Capite, ſi Infulæ, ſi Mitræ venient, admittes in ſocietatem, & reges. Quis non videt? Te ipſo Illuſtriſſime SECRETARIE attolli Laureas Theologicas, Tuaq; Fronte, ſtare eminentiorem Sapientiam.

Renovâſti priſcum illum morem, è magnis Familijs ad eruditas laureas aſpirantium. Poſſumus, tanquam in dote triumphos, illuſtria Ceris Nomina, inter Umbras Academicas recenſere; & à Deûm ſtirpe, enatas ſanguinis Arbores, Palladijs immiſtas folijs, quæſito ſcientiarum decore, floridiores producere. Quot patricij ſanguinis profundô, ab Heroicis, & vix non fabuloſis temporibus emanante, magni; impreſſo minoribus arenis veſtigiô, ſolutáq; cymbâ, è Minervæ littore, in ingens pelagus honorum enaviga-

vigarunt! quot è Doctorum ſubſellijs in Senatorum invitati Curules, gloriam Univerſitatis provexere! Liceat in hoc apparatu Fortunæ noſtræ, & gloriæ Tuæ fulgore, (nam videbimur) poſt ſuſceptas laureas, Viros, in hoc Regno, ſummos producere. Boni Superi! quis non novit in Polonia Magnos illos TECZENIOS, graves annales ſunt, immortalibus Gentis hujus operibus. Pendebant in atrijs parti de hoſtibus triumphi, gentes debellatæ, longa recenſebantur ſerie, captiva flumina, ſubmiſſo gurgite in gloriam TECZENIORUM influebant; nihili tamen æſtimabantur triumphi, ſi inter hos, captiva non demonſtraretur inſcitia; parvi fiebant trophæa, ſpolijs non illuſtrata ignorantiæ. Sic inter parta cæde, decora, olea quoq; Palladis colebatur, & ſanguini Martio mitis Muſarum ſudor innatabat. Producite illuſtres faſti KONIECPOLSCIOS, quæ Nomina! quos homines! Si opes ſpectes ditiſſimos, ſi gloriam Majorum Illuſtriſſimos, ſi amplitudinem titulorum Magnificentiſſimos. Potuiſtis vel ſolius Famæ ſubſidiô, maximis quibusq; imminere honoribus. Tinxiſſetis ſanguine purpuras, de magnitudine Avorum, Atavorumq; elaboráſſetis gradus ad faſtigia: vos tamen relictis tantisper Majorum Atrijs ad Stoam, Palatiis, iviſtis ad Muſæa. Videre erat, inter Muricem Togas, inter clavas calamum, inter eminentium fulgorem Nominum, Doctorum agnomina. Sic illo tempore excitabatur ingens gloria, cum pulvis Scholaſticus, tuncq; in Orbem maximè Nomen promovebatur Poloniæ, cum pes circini in Academia. Ibo, nam non hîc meta eſt? per maxima honorum culmina. habebo vos Nomina habebo, Academicæ illuſtria gloriæ teſtimonia. Appares, extra Poloniæ planitiem, in ſepticolli Roma;

Tuâ Purpurâ Magne HOSI, ab hac licet prorumpentibus perſtringor radiis: dicam tamen quod ſentio: ut bene Tibi Muricem tingeres Romanum Cardinalis Eminentiſſime, Almæ Univerſitati primos ſudores dedicâſti. Prælusiſti gloriæ Tuæ in hoc ludo literario, & quia nihil, poſt laureas ſuſceptas, in virtutem & ſcientiam deliquiſti; imò quòd virtutem, pietatem, ſcientiamq; Tuam, ultra Orbis terminos promoveris, vocatus es ad Rotam, Orbem honoris, cardinem eminentiſſimæ dignitatis, erat tamen in Rota hac, ingens modeſtiæ Tuæ patientia, ſic erubeſcere. Excute Nidos Sarmaticos, primam in hoc Regno Mitram adverte? en ſe offerunt ſpecie venerabiles, graves Majeſtate, ZBIGNEUS OLESNICKI, ANDREAS ROSA Archiepiſcopi Gneſnēſes. Et proximus Parnaſſo Jagellonico Vavelus, Academicâ intumuit felicitate, cùm CESLAUM KUROZWESKI ſuis Infulis redimiret, Noſtrasq; in illo Capite laureas, ſuperadditis Coronis adornaret. Adijce gloriæ Academicæ ANDREAM OPOROVIUM Epiſcopum Cujavienſem, JOANNEM LUBRANSKI & PETRUM TOMICKI Epiſcopos Poſnanienſes: MARTINUM CROMERUM Præſulem Varmienſem, quæ Nomina! Vos felices laureas! quòd aditu facto ad hæc Capita, demonſtrâſtis iter honoribus: & ſimul in Vos immortalem gloriam, ex tanto illorum apparatu, deduxiſtis. Non ſilebo Regum ora OCIESCIOS, TOMICCIOS duos CUROZVESCIOS. Satis illa quidem ſuâ vocalia, famâ; verùm & hîc ſe concedunt dicendos; ut illorum ſilente linguâ, vel noſtrô promulgentur calamô; quòd non alibi loqui didicerint Regum arcana, populorum vota & deſideria; niſi ſub laureis, niſi in ſinu Academiæ Matris, acſi Corneliæ Roma-

næ.

næ. Quod in principio dicendum erat; nam inter cunas Universitatis natum, rarum & memorandum exemplum. Vidit natale Nominis Nostri sæculum, PETRUM WYSZ, eundem Juris Professorem, quem & Cracoviensium Antistitem. Quid rogo sublimius illâ fuit Cathedrâ? Senator implevit: quid sanctius? Antistes docuit. Idem Doctor qui Judex, non tam dictabat leges, quàm dicebat. Quos docuit, judicare videbatur. Si pergerent mali esse, pænas tempestivè audirent scelerum, si boni, virtutum præmia. Ex hoc ore tanquam fonte, emersit apud Nos Jurisprudentia, & nullibi per Poloniam uberiùs manat, quàm hîc. Ausim affirmare hunc Præsulem in Nostri Juris Corpore Caput, nam & Pontifex erat, & Petrus.

Cur hæc adferam miraris Illustrissime SECRETARIE Regni, nec miraris, cui Regum Regnorumq; patent arcana: etiam & hæc à me adlata, velum cortinamq, non obijciunt. Vides hæc Nomina, Viros olìm in hac Republica primos, non aliter ad summa honorum processisse fastigia; tantùm priùs emensis hîc literarum arenis. Te quidem omnibus titulis parem effecit divina prope Indoles, vis animi exercitatissima, ingenium omnium capacissimum, vigor mentis doctissimæ, sanguinis Senatorij commendatio, Honoris fulgor: verùm Tu, licèt tantarum rerum Tibi conscius fueris, beneq; noveris flammas pectoris, olim accensaras lumina Nomini Tuo; nihilominus, illud ingenium, illum vigorem animi, doctis submisisti laureis; tanquam nolles, solam generis magni claritudinem, in honorum ducere fastigia, nisi haberet in comitatu insignem laureis sapientiam. Quod immortale Tuum opus, fastis inscriptum eruditorum, non tantum Nostris deprædicandum su-

ſcepimus annis; verùm crede Nobis, crede virtuti Tuæ, nulla ætas facti hujus glorioſiſſimi lucem obſcurabit. Te omnes appetent Honores, Te omnes ambient tituli, ſub umbra laureati Capitis, ſua depoſituri ſecurè lumina. Facies cæleſtes dignitates Theologus, docebis omnes, ut rectè agant Doctor, erisq; norma omnium, cùm geres. Quos tanges faſces divini erunt, quas geres Infulas, inferes Superis, quas implebis Mitras, cælo impleri videbuntur, non tamq; micare gemmis; quàm ſtellis, nec tam nativo fulgore, quàm Superûm ſerenitate.

Par geris ingenium quibusq; culminibus. non poteſt Te excedere magnitudo cui par es, nec à Te ſubmoveri, qui intra Te, omnem, in obſequium ſcientiæ Tuæ, tenes eminentiam. Si cupiet ſubmoveri, Te ſimul tollet, ſic frænas, ſic detines! ſi volueris ut abeat, manumiſſa dignitas, inflectet faſtigium. Vis ſapientiæ incuſſit titulis reverentiam, exculta virtus cultum, Honoris amplitudo facit, ne ſuos terminos excedant. Tenentur multis nominibus, ipſa Nomina, ſtat pro obice virtus, merita vallum erigunt; niſi modeſtia laxaret viam; nunquam abirent. Meruiſtis Magni SZEMBECIJ eam felicitatem? Ille ſæculis continuatus labor, omnium ætatum Gentis Veſtræ opera, agebant pulcherrimìs conatibus, ut fugax Numen Fortuna, nexu ingentium comprehenſa meritorum, veſtris liminibus accubaret. Quî effugeret, non invenio. Per orbem diſpoſuiſtis facta, facile ſe involvit Rota, oppoſuiſtis magnitudinem Veſtram, perrumpere non potuit, ſoliditatem, conſtantiam virtutum; debuit incauta, amo jam cæcitatem fortunæ! impingere. Bene eſt, quòd non evitavit caſſes, quos virtus nexuit, modeſtia poſuit, pietas explicuit. Multa, ut caperetur invitamenta habuit;

buit;

buit; longam meritorum seriem, amota à Cæsaribus pericula, pro Regibus effusum sanguinem, pro Republica susceptos labores, pro Ecclesia bella sustentata. Orbis potuit hac mercede parari!

Qui sudores! quæ gesta! quæ merita! Ostēta virtutem modò, ipse sanguis pinget Purpuram, exerce vires, domesticus Mars loricam induet, aspira ad sapientiam, laureas, Infulas, fasces tenebis. Miscet enim utrumq; Illustrissima Gens, affundit sanguini Majorum sudores proprios, ut altius enaviget, addit magnitudini elaboratos immortalibus factis gradus, ut sublimiùs ascendat. Vidisti Illustrissime SECRETARIE Regni, Majores Tuos Martialibus redimitos laureis, Purpuris fulgentes, fascibus graves, verùm simul & honorum ornamentis, adiecta quoq; magnorum laborū miracula; & placebat ab his descendisse. Sic cùm acta horum legeres, virtutes adverteres, simul Te quoq; illorum exemplis, ad decora excitabas. Vix gradum, reptans per scuta & laureas, firmare potuisti, ac si priùs nosses literas, antequam nascereris, molestissima artium rudimenta, lusus Tibi fuerant. Inter Musas natus videbaris, omnia literarum arcana, omnes docti recessus, aperti, capacissimo ingenio patebant. O quantum stuporis Academicis incussisti arenis! cùm annis tenerior, altiorem omnibus maturioribus præferres eruditionem. Sic sub Regali Magni Jagellonis manipulo, bonam literarum colligebas frugem, ut messem honorum quisq; Tibi opimam promitteret. Quàm gestiret Academica felicitas, si exorsus eruditionis telam, usq; hìc ad sacras purpuras perfecisses; verùm Tu, nè magnæ virtutis vestigia, uni solo manerent tantùm impressa, in totius Europæ admirationem ingenii vires divisisti. Gratulatur sibi, Tuæq; indoli,

 quod

quòd jactis in patrio illoq; Regali Lycæo, literarum fundamentis, & fere erecto in magna mente Palatio Eloquentiæ, talem Te intuleris exteræ diligentiæ, ut Orbis ex eruditione Tua facile colligere potuerit, eſſe & in Polonia Chyrones, qui Achilles ſciant, ad famam, ad gloriam, ad ſubſidia Patriæ bene ſalubriterq; inſtruere. Irruiſti itaq; relictis amæniſſimis Tulii fluminibus, in perplexos Ariſtotelæi Eurippi vortices, nunquam paſſus naufragium, felicibus auſpiciis, ad fortunata Philoſophicæ ſcientiæ, non ſine celeuſmate, littora enatâſti. Spinîs Logicîs Tu acutior, vocalior ipsîs Philoſophi organîs, tantùm famæ inſpirâſti vocis, tantum ſpiritûs eruditioni, ut illa Te loqui, hæc Te animari videretur.

Sic per pulcherrima literarum exercitamenta ingentes ducens animos, exteræ oſtendebas diligentiæ; quid Polona valeant ingenia? Nulla ſe obtulit difficultas, quam Tu facilem non redderes, nulli receſſus oſtentabant, quos aviditate ſciendi non penetrâſſes. Obſcura illuſtria Tibi erant, velata detecta, ambigua certà, ſublimia plana, inveſtigabilia pene ſub oculis. Omnia ſcire debueras, omnia callere CHRISTOPHORE, in manu tenebas, non tam arborem Porphyrii, quàm ſcientiæ. Profunditatem Euryppi habuiſti, quô metireris; volubilitatem, quô ſiſteres; æſtum, quo temperares. Altitudo Arboris excedebat docti profunditatem fluminis, at magìs mens Tua. Volubilitas frangebatur ſoliditate ſcientiæ, æſtus illuſtri umbrâ foliorum arcebatur. Tuá feciſti ſcientiam, ſub unâq; Arborem, totum convocâſti Academum. Quidquid docti Græcia, quidquid Latium eruditi conſpexerat, in hac Arbore potuit adverti. Jam inter nitentes frondium Comas, divini radiabat vultus Platonis, iam Summi Ariſto-

telis

telis magnitudo, par ſibi culmen invenit, jam Aquinatis mens Angelica, his folijs bene imprimebatur. Menſuram ſcientiæ Tuæ demonſtrabat Arbor CHRISTOPHORI, & quàm latè diſperſit frondes; tàm latè Nomen Tuum promovebat. Scimus Sacras Dijs fuiſſe Arbores: Oleam Palladi, quercum Jovi; crede tamen facilè Deos ſuas Arbores abiecturos, ſi Tuâ potirentur. O quot ferax Deorum, fabuloſum illud apud Pöëtas cælum, Mercurios ex hac Arbore excidiſſet! Parcite Superi, ſi negamus: trophæũ ſtabit triumphatæ magnis conatibus inſcitiæ. Ex hac Arbore pendebunt Palladis honores, eruditi tituli, parta virtutibus Nomina. Præterea SECRETARIO Regni opus eſt Arbore, ſi non fatidica auditur, faciet ille premens Regum arcana, aut promens in publicum tanquam oracula, ſalutaria Regnis, populisq; edicta, Dodonæam.

Exceſſiſti mentis magnitudine terminos ſcientiarum, nec teneri major poteras. Tota Europa patebat, Roma Orbis Caput provocabat, tantum ingenium. Et placuit Romam adire, in una Urbe totum Orbem videre, & à toto Orbe videri. Quare reliquiſti Germaniam, relicta pro vade Nominis Tui admiratione, trahereq; videbaris, omnium animos, Tuis innexos virtutibus. Abire non potuiſti totus, hìc in meritorum, hìc in ſtudiorum ſuperſtes memoriâ. Tenebant Te, qui mirabantur, ægrè manibus dilabebare, qui animos inſediſti. Infixus omniũ cogitationibus, nec loco, nec cælo dividi videbaris. Sic abſens, vultu & indole oculos, ſic docta Lycæa erudita voce, implebas! Magnam umbram in illo ortu gloriæ Tuæ, ſidus ingens, jeciſti, etiam ab Italiæ terris potuiſti vel totam Germaniam occupare. Verùm umbræ iſtæ illuſtres erant, & venturi omina

meridiei, appendices non tam corporis, quàm luminis, quales ſibi, ipſe ſol optaret, quales omnia aſtra cuperent per cælorum vias, ut eſſent clariora deſcribere. Quid clariùs Te? quid illuſtriùs Italia? quid Roma? potuit conſpicere. Generis claritudo, divinæ fulgor Indolis, ſcientiarum lumina, latè circa Te, diem ſpargebant. Videri poteras Tuis illuſtris radijs, ſub alieno ſole, qui licèt vehementiſſimus in illis terris ardeat; tamen copioſæ lucis exuberantiâ, tuorum luminum aciem non obruit. Omnium convertiſti in Te oculos: ſidus eras de polo noſtro, novum, & dignum obſervatu! Moviſti Cardinalium amorem, eminentiſſima Nomina, ipſo Indolis Tuæ occurſu flectebantur in admirationem. Quisq; optimorum, quisq; illuſtrium, in Te defigere oculos, explorare animum, ſtupere loquentis voces, ſenſa penſare, mentis profunditatem metiri in verbis, admirari ingenium, maxima de Te concipere, & hæc ominari, quæ habes, & quæ es habiturus. Colligere quisq; facilè poterat, ex modeſtiſſimæ frontis ſupercilio, ex ſumma in Divos pietate, ex intimo in ſacras literas ardore, qualem Te futuris temporibus, publica Regnorum felicitas conſpectura ſit. Non enim inani deditus curioſitati, ingens antiquæ Romæ cadaver, refodiebas è ruderibus, non ſuperborum marmorum faſtus ſui lugentium in cineribus inſolétiam, fugaces veſtigabas apices, non arcus triumphales, non coloſſorum ſuperbiam, obeliſcorum faſtum, à ſitu & ſquallore deterſam, admirationi publicæ, in pagina, conſignabas. Inter talium fruſta lapidum, rarò integritas conſiſtit mentis, & ſæpe candor animi, ſepultæ pulveribus eruditionis inſperſus, minus ſe excultum conſpexit. Quot, cùm antiqua Deorum excuterent delubra, turpesq;, & dignas orco inve-

ſtiga-

ſtigarent Idolorum imagines, priſcæ & paganæ impietatis in animum umbras induxere. Liceat exclamare: ô malè partam, è proſtratæ magnificentiæ cadaveribus eruditionem! Tu aliter Te gerebas in Urbe, calcâſti ſquallentem, inter ruinas veteris Romæ ſuperſtitionem, & vel ipſis ruderibus calcatæ impietatis, altiùs Te erigebas in Chriſtianæ officia pietatis. Divorum ſpectare Heroum pugnas, monumenta conflictuum inſpicere, cognoſcere virtutum exēpla, mirari majora hominum viribus facta, illaq; pio in pectore defigere, Tuum erat. Quàm Tu ad omnes effus⁹ aras, aris dignus efficiebaris, per omnesq; agones ſanguine noſtrorum Heroum purpureos, colligens virtutum nutrimenta, pietatis ſumebas incrementum. Ut arſiſti, út calebas, cùm ſacris cineribus, vel dabas oculos, vel religioſo ore, exuvias Divûm delibabas. Nihil Tibi optabiliùs fuerat, quàm ſic propter cælum diminui. Omnibus faſtigijs nuncium remiſiſſes, ſi liceret, tam parva athomo concludi. O ingentes affectus, in tàm exiguo pulvere excitatos! Hoc eſt Romæ eſſe, Romam videre, hoc res exteras noſcere. Alius mente puſio, montes mihi narrat, alius effuſus in omnem licentiam, fluminum errores, alius nullibi incola, Urbium venuſtatem, alius perſtrictus rerum apparatu, columnarum ordine, ſtatuarum elegantiâ, in illa fere admiratione, propior ſtatuæ, quàm homini, Palatiorum majeſtatem. Parum egiſti miſera curioſitas, & prope nihil, ſi tantùm terrarum ſpatia, fluviorum ortus & progreſſus, docta lapidum vulnera mirabaris. Sæpe horum ſaucius adſpectu animus, bonam mentem ad ſtudia pietatis, lapidum ſceleratorum obrutam cumulis ſepelijt, aut ægrè magnis conatibus, revolutis ſaxorum ponderibus, tanquam de tumulo, in lucem

eduxit meliorem. Narra miracula virtutum, non operum; colores pietatis, non artificioſas ardentiũ Cypriâ flammâ imaginum, umbras; ſcientiarum arcana, non obſcura fabulantium ſomnia; ingentem bene ſalubriterq; peragrati orbis laudem reportabis. Tu hæc inquieti blandimenta animi, fugacia malè ſibi mentis conſciæ gaudia, ſecurus virtutum Tuarũ, rectiq; tenax propoſiti, & oculo & mente integerrimis, cùm nunquam dignareris, effinxiſti in animo Tuo, pulcherrimam, & qualem tantum cælum habet, ſapientiam. Remotis enim oculorum illecebris, clauſus intra mentis profundiſſimæ ſacraria, cum DEO Superisq; tantùm agitare conſilia videbare. Quare non ſeneſcentis ruinæ orbis, aut nova effuſô Regum Regnorumq; ærariô molimina, à Te audiuntur; verùm ſolida Divinæ Sapientiæ myſteria. Sub vario peregrinabaris cælo, nunquam tamen à cælo. Noveras ubiq; DEUM occurrere, in illum ibas, ad illum nitebaris. Orbis Tibi liber erat, legebas in illo opera Divinitatis, & DEUM ubiq; inſcriptum vidiſti. Montes aſſurgebant, Tu Divinæ altitudinem Sapientiæ metiri, Maria diffundebantur, Tu profunditatem, explicabantur ridentes floribus campi, Tu pulchritudinem Numinis perſpicere, in his naturæ involucris contendebas. Summam Aquinatis gravis Te ipſo menti ferebas inſcriptam, ſolemq; non alium ſpectare videbaris, tantùm Auguſtini. Nota Tibi Italia eſt, nota Gallia, ſed nihil cælo notius. Agnoviſti vicinam, & quaſi ſuburbium ſiderum Romam, dum in illa bene optimeq; perſpexeris, quid in cælo ageretur.

His rerum humanarum divinarumq; inſtructus apprime exercitamentis, grave ſcientijs ferebas Caput: illud ambire honores poſcere tituli. Curant, quis non

ſen-

ſentiat? vel ipſi Honores, ut ad ſe in Patria Curuli, etiam vehatur ſcientia; & inter Atavorum Ceras lucem videât ingenij. Erudito enim pallore dilutus magni ſanguinis rubor, gratiùs nitet, & lumina Generis, clariùs inter noctes Atticas vidêtur. Utroq; Tu felix: naſcendi ſortem evexiſti ſcientiarum decoribus: ſic illa in omnium oculos, vota, deſideria incurrit, quia utroq; eminebat. Illam, poſtquam minores honorum colles, ſe majorem adverterint; ſummi, nam his par eminebat, ad ſua culmina, invitârunt. Vavelus mons, non tam cumulô aggeſtæ telluris; quâ ſuperpoſita honorum mole altiſſimus, pronum ſubmiſit cacumen, premeres. Senſit, út aſcendiſti, Tuum hoc eſt SZEMBECIANUM veſtigium. Circa Caput enim ſuum, vernare ROSAS, flores explicari, ver deſideratiſſimum erumpere advertens; ſuam, non invidit Hymetto, non Hyblæ amænitatem. Ex hoc culmine oſtenſus Regno omnium honorum oculos, & cum oculis vota rapuiſti. Quisq; ambire, quisq; ſpectare, nec ſpectare, habere cupiebat. Aperta erant omnium vota, claræ voces: iſte potitus eſt Te SECRETARIE Illuſtriſſime, qui Regum tenet arcana. Tacebat muneris ſui conſcius, nec potuit, explicare vota ſua; nè coram Te loquax, proditor arcanorum argueretur. Debuit, cùm omnes tituli, nimis ſe explicarent, & pene effunderent, ſolus tacere à ſecretis. Collegiſti, omnium animos, ingeniumq; explorando honorum, ex compoſitæ in ſilentium dignitatis modeſtiâ, bene Tibi Sapientiſſimo convenire, cum Honore profitente ſententiam Pythagoræ. Itaq; commiſiſti Te illi, hoc eſt ſociâſti Tua, cum illius arcanis, & majus ſecretum eſt, quia compoſitum. Unum alteri velum obijcit, & ſecretius eſt, quidquid ipſum tegit ſecretum. Bono factum dico

omine, quòd Tu Sapientissimus Regum admotus arcanis, sis ea sub Patria servaturus ROSA, quæ in populorum salutem statuuntur. Securè poterunt apud Te deponi Regnorum, Regisq; effata, apud quem, jam plenum est pectus cælestium. Fient salutaria omnibus, inter divinorum momenta arcanorum; habebunt pondus, quibus tota Divinitas, nota Tibi studijs Theologicis, cum suis incumbet argumentis. Nulli mortalium nocere poterunt: damna rerum, ab integerrima mente exulabunt, nihil mali nocivіq; contrahent, inter sacras admissa cogitationes. In sacrario deponentur, dum Tibi communicabuntur: aut, quidquid dicetur, à communi semovendum arbitrio, apud Te sacris operantem, erit secreta Oratio. Quid? si in publicum depromes, longô silentiô, & pertinacissima taciturnitate detenta oracula; quantô studiô, aures contendent mortalium, ut audiant. gemmas appendi sibi putabunt, uniones circa Caput pluere. Pretia loqueris, aurum scribes. Omnia erunt arcana, omnes mirabuntur, tanquam pro Te oracula Deûm loquerentur, aut Tu pro Oraculis perorares; quod certè facies: nam Reges Numina terrarum coluntur. Quisq; opes verborum, sententiarum lumina, intra pectoris servabit penetralia, ut appareat à Secretario hæc emanasse. Instrues verba, cùm premes silentiô; sententiæ verò, tanquam in arena aut Lycæo commissæ in velitationem, totâ rationum acie, ruent in vicem, & hæc in publicum proferetur, quæ victoriam obtinebit. Victrici sententiâ vinces mortalium animos, triumphabis pectora, omnium amores, trahes Hercules. Hic acclamabit, imponenti finem dictioni; ille, nè magnarum cogitationum arcana, suo excepta pectore, vox repentina exturbet, in silentio re-

vol-

volvet, usui, continuæ admirationi relicta, conservabit. His Tu præludijs, ingens facies majoribus desiderium Tui honoribus. Accedet cum rubore quæquæ purpura, nè ruborem contemptu incutias; omnia fastigia, demisso ad Te properabunt vertice, Tuis immortalibus operibus surrectura. Feres, de omnibus titulis sententiam: gaudebit, qui Te potietur, æstuabit invidiâ, quem vacuum votis, aut summâ votorum, Te ipso dimittes.

Hic ipse Honor Theologicus, scientiæ Tuæ testis, diu multumq; angebatur, quòd eminens Sapientiâ Caput, ægrè suis laureis committeres. Jam voluerat Divinior Pallas, inferre magnificis Domûs postibus, eruditas frondes, jam Tuæ fronti innectere doctarum præmia frontium, toties Te, quid de Tua scientia sentiret, tacito nutu admonuit; quid vitares Academiarum titulos? sapientum insignia, testimonia impensorum sapientiæ usibus annorum, ad quæ magna etiam Nomina, non sine quodam ambitu, accedunt. Annuisti votis Sapientiæ, ivisti ingenti gradu, cum magno scientiarum, eruditionis apparatu, plenus Philosophicorum Theologicorumq; arcanorum, cælum mente, & quidquid sidera tegunt, quidquid intra mortalium ingenia agitatur, acsi alter Atlas ferens, ostensurus in illo sapientiæ sacrario Te, non tantùm in Regnis, at etiam & apud Superos esse à secretis. Visus es ideò tantùm terris concedi, ut ignota mortalium animis referres arcana. Qui totius Academiæ plausus! quæ lætitia! cùm laureis emeritum Caput adornares. audiebantur multorum voces: In nullo vertice, digniùs recubuit Laurea, quàm in isto. Aliorum meta habebatur, honor iste: hic honores sapientiæ altioribus titulis coronabit. Non coronis votorum est, Co-

rona hæc. Capax videmus Caput, poſt laureas, poſt Infulas, inveniet fortuna Mitris, Galeriſq; locum. Cælum attingit ſapientiâ, DEUM mente complexus, plùs tenet, quàm poteſt ſperare. His ſacri provocantur tituli. honorum illicia ſcientiæ. Recipiet certè in illo ſapientia, fortunæ cultum, famulam habebit, quamcunq; ſortem voluerit. Inſultans ſæpiùs ſcientijs Numen, arbitriô hujus premetur. Sentiet irata Palladi Dea, pro admiſſis in ſe piaculis, juſtiſſimas pænas. O utinam annulus, quem induit, æternitatem donet Nomini; ferat auſpicia, ut aliquando ſuus ſit Alexandro Epheſtio. Nec in gemma ſphynx, aut quadriga, vel tantùm longæ ſpei anchora, at Regnorum incidantur Aquilæ. Impleat faſtos, faciat graves meritis annales, nec tantùm hoc ſibi volumine tradito famam mereatur: verùm omnium Bibliothecarum Incola, poſteritatis oculos in ſui ducat memoriam. Communicet ſe ſcribendum, tegat Regum arcana, ſuarum non ſit tenax virtutum. Nè fata ipſum, út nuper cum dolore noſtrum omnium FRATREM ILLUSTRISSIMUM repentino involvant funere. Non opus, ut tam citò ad hos receſſus, loca abdita, deſcendant oracula. Ingens fuiſſet jactura, quanquam eſt, niſi pro Caſtore Pollux publicæ felicitatis in ſolatia ſucceſſiſſet. Vulnus ſæculorum, hæc ſola obduxit cicatrix. Corrumpere videmur lætitiam commemoratione acerbiſſimi doloris. Magna gaudia ſuis novimus plauſibus lacrymas immiſcere. O diem nobis lætiſſimum! ſalutarem Academico Nomini, dignum albô calculô, vel hac gemmâ, quâ communem cum ſole diem, Doctor Illuſtriſſimus accendit.

His vocibus, hoc plauſu, cùm creareris, non de nihilo meritorum Doctor, ad famam evectus publicam,

blicam, non tam novis implebis Domûs Celsissimæ amplitudinem titulis, quàm antiquæ, vigentiq; continuò, illius Sapientiæ accedes testis locupletissimus. Ingens mihi panditur enavigandum pelagus, si volo, per omnes ætates, Sapientiæ Vestræ Proceres, Illustrissimi SZEMBECIJ producere. Intelliget quisq; omnes, ex uno Stemmate, agnoscet sub ROSIS Athenas, vel in uno Cornu properantium ad summa CAPRARUM, omnium scientiarum abundantiam. Nam ubi florentior esse potest Sapientia, quàm sub ROSARUM amænitate. Parnasso Musæ insident, inter vernantes nemorum frondes, inter fontium floribus investitorum lætitiam, sua opera moliuntur. Sæpe, ut ingenio sua adsit hilaritas, acumen præsentius inhæreat, Roseas Capiti inserunt Coronas. Inditur enim menti quidam vigor, à vernantium Florum blando rore; loquuntur cælestem sapientiam, hiantibus labellis, & quæ lingua medium tenet, Professor est. ROSA præsertim, quali Celsissima Domus SZEMBECIORUM floret, omnes in suis folijs scientias describit. Patent omnes in explicito, Regno, Ecclesiæ, honoribus Flore. Veniunt omnes, singuli accipiunt, tanquam de tripode oracula. Sub hac ROSA Regna, Imperia, longo ætatum tractu deponebant, quidquid secretissimi, quidquid cautissimi, politissimiq; habebant: nec exolevit arcanum hoc Imperiorum: imò tectum accuratissimè, ad omnium sæculorum usus, Sapientiam spirabit. Odoret sagacitas, sed cautè velim, putet se ad aras accedere, & tractare Deûm mysteria: latent acumina sub amænitate florum; tunc tantùm exerenda, cum opus, quod sapientiæ est. Ideo olim Numinum tegebantur Aræ; & impenetrabiles recessus, maximorum conscij habebantur arcanorũ.

Ambages reſponſorum, erant tanquâm tela ſub RO-
SA. Quod patet, patet in Patriæ commoda, &
in uſum boni communis; quod latet, latet in de-
trimentum jurati Patriæ hoſtis. Conduntur acu-
mina ad feriendum hoſtem, tanquam in inſidijs col-
locata, quanquam & apertè, ſi congredietur, expe-
dita ad ictum: latent illa Patriam, quam nunquam
pupugere. Tantum ſecretum ipſi nôrunt SZEM-
BECIJ & Sapientiſſimi ſunt. Servant ſub ROSA
ingentem Sapientiam, nec excedit nucleum Ilias.
Inſcribit ſe omnibus folijs, nec omnia occupat, re-
ſtant ad poſterorum imprimenda ſibi nova ſcienti-
arum documenta. Quodvis folium Regale eſt, prin-
cipale, in illo tot Capita, quot Cæſares ſervati, Re-
ges defenſi; omnes periodos diadema, corona ter-
minat: Aquilæ, Ceræ, Infulæ, Purpuræ implent
medium; & in omni folio, ingens margo honoris
expectat Honorios.

Plura non dico, nam latent cætera ſub ROSA,
quæ nefas tangere, trahor tamen altiùs cogitatione
in ſtuporem Sapientiæ Veſtræ Illuſtriſſimi SZEM-
BECIJ; cum anhelantium ad ſumma CAPRA-
RUM, niſus, laudabilesq; conatus animo revolvo:
Hoc ego Animal ſcientiarum omnium fontem ſta-
tuo. Si credimus Vatum ingenioſo furori canenti:
Jovem nutritum eſſe à Capra, ab illo, mirabili, &
qualem tantùm Pöëtarum natio fingere potuit, par-
tu Palladem, in Orbem profuſam. Notiſſimum eſt
à Nutricibus in infantes cum lacte mores diffluere,
indolem fingi, & alteram naturam ab alimentis fir-
mari. Quis non ſtatuet? Jovem hujus Animalis nu-
tritum ubere, exſuxiſſe vim quandam; quæ Numen
illud adeò felici perfudit ſuccô, ſanguineq; informâ-
rit; ut ſapientiſſima Deûm, hominumq; potuerit ge-

nera-

nerari. Quare digna erat CAPRA cælô, digna inferri Sidus ipsum sideribus: quæ tanti boni sapientiæ inquam in suo lacte incrementa infudit. Et cùm se exuisset pellibus, redacta in lumen cæleste, omnium arcanorum conscia, in sua pelle, Diphtheram extendit, rerum Divinarum volumen capacissimum. Tenet cælorum arcana, superûm fata, sortes mortalium, rerum ordinem, & futurorum nexus eventuum. Non plura cortinæ Superûm habuere, tripodes mortalibus narravere, imò si quæ de Secreto Divinitatis suæ, mirabili verborum ambage evolverunt, priùs Diphtheram, tanquam Libros Sybillinos, olim Romani consuluere. Quodsi Latinus, canentium Vatum, arcana non intelligens consulta, oracula indagaturus ex Fauno, non ovium incubuisset pellibus, at CAPRARUM: nunquam volitantia miris modis simulacra, anxium senem diu tenuissent; verùm, ut se composuisset, subitò Deorum frueretur colloquio, futuriq; cum Ænea fæderis, illa nocte tædas conspexisset. Sic Gentis emblemata doctissima sunt, insignia Palladi pro Medusæ Capite, assumenda: forte alacriores ad ROSARUM amænitatem, dulciúq; CAPRARUM cum Jove nutriméta, concurrerent mortales, & apum more, coacto agmine, ad exsugendam Sapientiam, ROSIS fortè de Elysijs Campis, in nostrum Orbem translatis, avidissimè incûberent.

Non solum Gentis Stemma doctissimum intellige, quosquos hoc Sanguine censeri videbis, Sapientissimos experieris. Ponam absq; Majorum Nominibus facta, ex factis totius Gentis colligetur Sapientia: & satis dicam Nomina, cùm immortalia opera percurram. Quod Cæsarum periculis obviam iverint, terrarum Dominos, sua manu continuerint, nè cum illorum fatis, orbis rueret, mirum est Sapientiæ

 do-

documentum. Nam in tam repentino caſu, præſenti fuiſſe animo, quid fuit? niſi qvum omnium Caroli M. lapſu, mens corrueret, expeditum, ad eripiendum de periculo Imperatorem, habere conſilium. Bella egiſſe, tanto robore; ultro laceſſere pro Patria Martem, aut ruentem inſolenter cohibere, ſicut fortitudinis, ita & Sapientiæ, vel hoſtium Sanguine, Gradivi in Arenis inſcriptæ; legitur argumẽtum. Curules inſediſſe, cum admirabili, ſalutariq; Patriæ conſiliorum ſerie, illamq; ad evolvendas difficultates, pulcherrimo nectere ordine; apertiſſimè omnibus oſtendit Sapientiſſimos è Domo SZEMBECIA venire. Conſule Aſtræam, nullibi æqviores audies Juſtinianos, Conſos advertes, euntis peſſum libertatis Statores adorabis. Fulgentes Templorum moles, Aras intuere, Conſtantinos; creſcente Divorum, munificentiâ SZEMBECIANA, decore, Magnos veneraberis. Hæc omnia è Sapientiæ profecta Sacrarijs, declarant Domûs Celſiſſimæ, miram in rebus agendis prudentiam, in continuandis ſolertiam, in perficiendis ſcientiam.

Fidem facient poſteri, Nomina his tempeſtatibus, ad erigendam Patriam, terris divinitùs conceſſa; quòd è Sapientiſſimis Majoribus deducto ſanguine, cum amorem derivârint in ſcientias, ut toti illis dediti, poſtquam omnem ſuccum Sapientiæ exſuxerint, eam bono publico, Eccleſiæ ſciant commodare. Tolle oculos, advertes; (nam hæc magnitudo, tantùm elatis luminibus, etſi fas eſt contra tueri, videri poteſt) primum Poloniæ poſt Regium diadema Caput; cui etiamſi tota moles incumbat Patriæ, ipſis ſtat eminentiùs, fatorum oneribus. Hæc ſumma votorum ipſius eſt, hæc conſiliorum ratio, ut priſca in Lechiam redeat ſecuritas, eadem

fama

fama Gentis, idem honor. Vellet, si se lituum Archipræsuleum efferente, tanquam ad signum, priscorum sæculorum convolarent gaudia, essentq; sub se aureo PRINCIPE, PRIMATE, Saturni tempora. Et quia parùm nostris profecimus armis, nullosq; feraci olim laurearum terræ, implantavimus triumphos; imò quidquid Patrum Avorumq; sanguine partum fuerat, civili excidimus ferrô, aut imbelles & attoniti, exteris rapiendum concessimus: ostentat Patrias ROSAS, sortis melioris prodromum florem, ver omnis felicitatis; ut hujus allecti dulci hilaritate, relictô Vatinianô inter nos odiô, in mutua ruamus cognati amoris fœdera, in hoc pulcherrimo animorum nexu, ea, Universo coram, iterum demonstraturi exempla; quæ Nepotibus stupori; nobis, hac tẽpestate laborantibus, apud vicinas Gentes, ignominiâ, decori futura sint. Vidimus spectavimus! quo fervore boni publici, accensus, media per pericula iverit laboranti Patriæ, Atlas Sarmaticus, manum, humeros suppositurus. Non illum hostis minæ, non sævientium tempestatum procellæ, non fortunarum vitæq; jactura terruere. Fatis Poloniæ major, & veluti arbiter, ultra minas hostium progressus, risit inanes desudantis fortunæ vices, eô, apud totam posteritatem venerabilior, quòd casuræ felicitati, nunquam Caput inclinavit. Nunc intelligimus, quàm ingens fastigium Sapientiæ teneat PRINCEPS Celsissimus; quô prægressus omnes mortalium conatus, & inexplicabiles imperitantium artes, fortunæ lusus, viderit, tanquam è specula, futurum fatorum ordinem; & ideò nutantibus omnibus, & desperantibus, & fermè jam in servile obsequium labentibus, solus in eo gradu, caute Marpesia firmior, adeò obstinato steterit passu, ut ruente etiam orbe, nec flecteretur,

nec concuteretur. Apparuit in publico nuper conſilio Varſaviam ex tota Polonia cõnvocato, Primatialium curarum magnitudo, amolientium à Patriæ ſalute; quidquid ſævior fortuna in nos decreverat, decreturaq́; videbatur. Sed nos promptiores linguâ, quàm manu, bene conſulta, ſocordiâ, licentiâ, animiſq́; in contraria ſtudia, aſſuetudine mala ruentibus, continuò corrumpimus. Agis Tu PRIMAS Celſiſſime, de Claro Monte cum Superis pietate admirabili, dent hanc Poloniæ felicitatem: ut bonis conſilijs, meliores ſuccedant eventus. Jam Reginam Poloniæ MARIAM, in ſuo ſolio miracula in Orbem diſpenſantem votis omnibus, & pignoribus obſtringis, dignetur favores ſuos prioribus adnumerare miraculis. Recenſes victorias hujus nobis donatas liberalitate, poſcis novas, promittiſq́; non alibi Poloniam trophæa poſituram; tãtùm ad Claro-Montanæ Virginis plantas. Annuent Superi, virtutis Tuæ fiduciâ ſperamus. Et jam pietas Tua facit, ut pauliſper ſe mala ſubmoveant. Quæ prodigia, facta recenſendo, dixi Primatialis Sapientiæ!

Sic adorata Archipræſulea veluti in tranſcurſu Mitra, Paphenſibus Infulis ſemper votis Noſtris gratioſiſſimè faventibus ſe inflectat Oratio. Laudarem, conatibus meis major es PRÆSUL Illuſtriſſime. Dantur ea exempla poſteritati, quæ difficilia narratu ob ſtuporem erunt. Veniunt Honores, pulſant verecunda manu januam, nec exis, ut ſuſcipias. Jam ferè ad limina Tua iter, honorum tritum veſtigijs, purpurarum rubet defluente ob nimium dolorem murice; Tu tanquam non videres, triumphali gradu, humano ſitu auguſtior ad Templa, muneraq́; Pontificia properans, irrumpentium ad Tua limina dignitatum caſtigas violentiam. Cùm verò

ad Aras Sacris circumamictus velamentis appares, tota Religio in vultu, pietas in verbis, nitor Divinus in oculis, latè Te PRÆSULEM ostentāt. Tanquam ad Superûm pulvinaria, de siderum, non de terrarum venires consortio: cælestis in Te relucet Majestas, & sanctitatis quædam prorumpunt lumina. Non referam qua alacritate Provinciam Tibi commissam administras, quot de Tuis manibus ad Sacra manumissi veniūt, quot Pontificij sudoris, in susceptis laboribus effuderis. Ad Te reclinavit Caput Astræa, & religatis oculis, securè sub Te Judice terrarum potest spectare innocentiam. Nihil æquiùs Magne PRÆSUL, quàm ut Te concedas, qui petunt Honoribus. Si tanti æstimas modestiam Frontis Tuæ, provocabis, ut omnes Infulæ, juratis studijs, in invitum Caput irruant. Expectamus avidi, quid ista Honorum conspiratio Tecum effectura sit, infractus licèt sis, ingenuè fatemur: victoriam Honoribus vovemus.

Quo verborum nexu, quo laudum ambitu Illustrissimi CANCELLARIJ Regni complectar magnitudinem, adorem Sapientiam. Ingentium curarum moles, hujus incumbit humeris, nec submovet pares vel orbi ferendo lacertos. Omnium Regnorum complexus animô negotia, excessit sui Minister. Insinuavit se in fatorum arbitria, & priùs advertit futurarum seriem rerum; quàm sors evolvat. Occurrit fatis, nam novit vias. Non succumbit procellis, gnarus, ubi tempestas sit iras positura. Summa est hæc Sapientia, futura perspicere, & agere ante tempus, quod in tempore agi deberet: confundere fatorum ordinem, antevertere molimina, eludere sortis conatus, & per tot nexus adversorum, perrumpere ad nunquam speratæ alijs fortunæ serenitatem. Hac


97 prudentiâ totam vult animare Patriam; explicat mẽtem AUGUSTI, Os hac mente dignum. Innuit quid agendum ſit in decumana fluctuantis Poloniæ tempeſtate? quibus ventis utendum? & ad quod littus ſalus Reipublicæ ſit applicanda? Qui audit hæc arcana, ſtupet; qui parem arcanis verborum majeſtatem, hæret; & fere aperto ore captat Sapientiam. Diffunditur fama Nominis per Orbem, laudantur glorioſa in bonum commune molimina, & pene totius Orbis conſenſus, hac, inter Scyllas adverſorum curſum tenendum vovet Poloniæ, qua SZEMBECIANA ducunt auſpicia, & provocant Regales Aquilæ. Sentit mala bene Patriæ, quia non infligit; avocat nè infligantur, concordes ſuadet animos, ne res Polonæ, diſcordiâ dilabantur. Prævidet, quid enim non videat? ſi in diverſa trahetur Patria, caſuram. Erigit ſolus, quo poteſt conatu, omnes modò adferrent manus, ſtaret Polonia incolumis. Darent Superi! ut aliquando prior Regno redderetur ſecuritas, gloria, Majeſtas: crede? vel ipſius invidiæ teſtimonió, Tu Author, ſalutis Noſtræ habereris: Tu civicas Coronas, ob civeis ſervatos, Tu Gramineas, ob bella compoſita, Martem ſopitum. Te circùm ſpargerentur oleæ, carmina Tuis laudibus perſtreperent. Sed ſi iſtas juſta Superûm Nemeſis repetit à Nobis pænas, ut noſtrô malô, & mutuâ diſcordiâ, (nam in hac concordes videmur) in excidium Nominis Poloni ruamus, hòc piaculô res Lechicæ in totius poſteritatis conſcientiâ maximè laborabunt, quòd Tuis non innixæ conſilijs, ipſæ, Tu licèt tenueris, obſtiteris, in exitium impellerentur. O Superi tantos avertite caſus! vel ſuô periculô redimeret ille ſalutem Patriæ hoſtia piacularis. Mallet ſuas laudes, cum totius Poloniæ triumphis, plauſu, carmi-

carminibus censeri; quàm inter rudera, tanquam gemmas virtutes suas quæri: inter cineres sepultæ Patriæ, conscientiam suam, nunquam factorum pœnitentem, conspici. Sic mærore cõfundimus gaudia, tanquam solem nube. Nam in hæc tempora incidimus, ut laudes Magnorum dici non possint, absq; tenerrimo orantium dolore. Sed ut optimè securèq; Phæbus inter nubes videtur, sic Magni CANCELLARIJ virtus, Sapientia, inter has fatorum tempestates.

Per tot culmina deproperans Oratio venit tandem ad Mensas. Regibus instructæ feruntur epulæ, Regna invitantur, & Magnus Regni DAPIFER mensæ curâ Regum Regnorumq; tenet. Certè si Majestatem convivij spectes, possent vel ipsi Superi assidere. Nam hîc condimenta amor in Patriam miscet, dulcedinem candor animi instillat, omnem epulis gratiam oris hilaritas conciliat. Nunquam Ganymedes tantos in Deorum consessu meretur favores, quantos hic in Regum Regnorumq; conspectu habet. Non oportet hôc dapes inferente, quærere per elementa gustus, ille omnium arridet palato. Non expectet emptas periculis Oceani epulas, naufragio celebres cænas, quæsita inter syrtes fercula, ambitiosa fames: vellet revocare ad priscam frugalitatem omnes, non ignarus, aureæ Parentem libertatis, auream fuisse Majorum nostrorum mediocritatem. O mentem jucundam! & svavem Patriæ! Fruere aliquando sensu Tuo, & auctus dulci Patris nomine, blanda ora, oculosq; sideribus pares Natæ Illustrissimæ, Parens longævus tuere. Legimus in ipso exortu auspicia: illam Regis Magni, Principisq; ad maxima Nati, admotam, ad sacrum Fontem manibus, magnorum tantùm, & quales votis concipim⁹, è sinu Illustrissimæ Matris, ituram in fædera.

Merentur Homerum, quem Macedo suis gestis optavit Poëtam ALEXANDRI Capitanei Radôscensis egregia pro Patria facta. Gerit pares animos ad maxima in hac Republica munera obeunda; dexteritatem experiuntur consilia, bella manum. Quodsi etiam Gordium nodum sors objiceret, vel gladiô rûperet, ut omnium malorum vis solveretur. Fasces purpuras, & designatas emeritis frontibus Tiaras, spectandas olim ad Balthicum Mare; cortina silentij involvo, gnarus, Numina silentiô, cum verbis non possint, coli.

Sic inter unius Laureas Theologicas tota se implicuit sæculorū gloria, omnis Illustrissimorum SZEMBECIORUM innexuit Sapientia. Tu qui ad tantum decus aspirâsti, feliciq; omine Capiti Illustrissimo, impositis scientiarum frondibus, erexisti omnium Honorum vota, Tribunalium lances, in Tui Nominis, Sapientiæq; provocâsti æstimationem; nulla sub laureis fatorum sentias fulmina; imò Cælo Tuo immistus, omnibus fastigijs virtute Tua, votis nostris major, cùm petent tituli, ambient dignitates, Te pro commodo Generis humani concedas poscentibus. Tene huic pignori Sapientiæ, innexos totius Universitatis amores, & vota. hocq; habeas perspectum: nullum Academiæ ver gratiùs risisse Tuo. quid enim jucundius oculis, quid Sapientiæ potuit contingere, quàm Laurea SZEMBECIJS ROSIS adornata?






I. x i x. 7.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0021940